



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

14. Regimini Universalis &c. Episcopatum Ruræmundensem in Gelria,  
Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeum erigit: anno 1561. eidem  
affignans Limites, & pro dote Præposituram Marsanensem, prope ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Prid. Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Signatum, Cæ. Glorierius, & Barengus, Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, Indictione tertia, die vero XIII. Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Pii, divina providentia Papæ IV. anno primo, retroscriptæ litteræ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis, dimissis ibidem copiis affixis, juxta illarum formam, & tenorem, per nos Jacobum Carram, & Bernardinum Andrentium, præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores. Antonius Clerici Magister Curforum.

Episcopatum Ruræmundensem in Gelria, Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeum erigit: anno 1561. eidem assignans Limites, & pro dote Præposituram Marfanensem, prope Mosæ-Trajectum, Præposituram Ecclesiæ Sancti Spiritus Ruræmundæ, & alia quædam Gelriæ Monasteria.

### PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**egimini Universalis Ecclesiæ disponente Domino præidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim noviter erectarum, illisque præfidentium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis Officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum impositarum dotationi, decori, venustati, suorumque Præfulum, Capitulum, & aliarum personarum Divinis ibi Laudibus insistentium opportuna subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianæ salutis salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac alias super his etiam nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris, licet consultè gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque alias postquam felicis recordationis Paulus PP. Quartus, Prædecessor noster, ut providi Pastoris debitum exigebat, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum, quæ illic existunt, oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedralis inesse considerans, ut illarum Episcopi eâ, quæ opus erat, diligentiam tantam animarum multitudinem regere non possent.

Idque quibusdam eò difficilior esse, quod homines sui Diocesani vulgari idiomate institutisque differabant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Episcopalem Sedem evocare non liceret, unde præfati Episcopi, nec Fidei Catholice doctrinam, ac rectam vivendi rationem populos suos docere, nec in delinquentes animadvertere commodè quibant, Fidesque & animarum salus ibidem ob multiplices hæreticorum, & schismaticorum, quibus ipsa Regio undique ferè circumdata erat, insidias, peritiosasque doctrinas maximo in discrimine verlabatur.

His aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illi humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in ea parte satisfacere, habita, sicut tanta res postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus,

matura deliberatione, de eorum consilio, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine Mechliniense, & quod in Ducatu Geldriæ, & Diocesi Leodiensi consistebat, Ruremundense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ Regionis, cum omnibus & singulis conterminis, Territoriis, Clericis, Populis, Personis, Monasteriis, & Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis, à suis quodque Diocesi & Provincia perpetuò segregaverat, diviserat, & separaverat.

Ac Mechliniense, Ruremundense, reliquaque oppida prædicta sic divisa in Civitates, Sedem verò Mechliniensem in Metropolitanam, ac Collegiatam Sancti Spiritus Ruremundensem, cæterasque alias aliorum oppidorum in Civitates eorum hujusmodi Ecclesias in Cathedralis pro totidem Episcopis erectas, qui suis quique præfuerint Ecclesiis, ac Ruremundensi, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus præfatis certos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diocesi perpetuò concesserat.

Nec non Ruremundensem, & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates & Dioceses dictæ Ecclesiæ Mechliniensi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Ruremundensis, & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalis annuum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, ac effectum sortitæ forent, & non ultra;

Cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum mille, & quingentorum Ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventus, quos ex dicta Regione percipiebat, cuilibet ex Ruremundensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, annis singulis, quousque specificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionaliter persolvendum, perpetuò applicaverat, & appropriaverat.

Ac eidem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias tunc certis expressis modo, & forma qualificatas ad Ruremundensem, & alias Cathedralis Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingerit, Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Episcopos ad nominationem hujusmodi nominandos in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio, dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Dioceses distinguerent, & limiterent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, Prioratibus & Præposituris, sub illis consistentibus di membrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputaret.

Dilectus Filius noster Antonius titulo Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Granvella nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari possent, facta nihilominus per eos

quam

quam diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis,

Animadvertentes, quod si passim de dotibus Ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris præfatis provideretur, cultus monasticus non mediocriter laederetur, quin potius præstare nonnullos ex Præposituris, ac Prioratibus hujusmodi supprimi, illorumque fructus, redditus, & proventus Ruremundensi, aliisque tam Episcopalibus, quam Capitularibus Mensis Ecclesiarum earumdem applicari, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diocesum, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diocesum commodiores illis, quæ per primodictas litteras statuebantur, fore prævidentes.

Idcirco assignationes dotium, numerumque personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Officiorum, & Beneficiorum in iisdem Ecclesiis, statum & formam etiam per hujusmodi suppressiones, & applicationes, aliasque in universonum accommodatas rationes habendas, ac ipsam Ruremundensem Diocesim ita partiendam, ut totum Geldria tractum à Flumine Wael, usque ad Eeck, Soesteren, & Opicht, Niesstadt, Erchelens inclusivè, qui dividitur in duas partes dicti Ducatus Ruremundensis, & Nimmagensis, cum Comitatu de Horn, & Dominiis, seu Territoriis de Beckte, Thorela, Franrenbergh, Civeta, & Postel cum oppidis, terris, castris, pagis, & locis sub eis consistentibus.

In quarta Ruremundensi Ruremunda, Venloo, Gelre, Stralen &c.

Eisdem Ecclesiæ, & Episcopo Ruremundensi pro sua Diocesi assignanda esse censuerint, ac super majore illarum parte processus rebus omnibus serio digestis formandos curaverint, prout in illis, ac singulis litteris prædictis, ac forsan aliis scripturis desuper confectis, plenius continetur.

Nos igitur, qui modum inter alium voluimus, quod semper in Unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique partitionem, & ordinationem per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem, & Diocesim Ruremundensem attinet, accuratè perspectas, prudenter examinatas, & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes, ac portionis, & ordinationis omnimodè Subdelegatorum hujusmodi, scripturarumque desuper confectarum, & inde sequutorum tenores, nec non fructuum, reddituum, & proventuum Mensæ Episcopalis, ac Decanatus, & Scholasteriæ, singulorumque Canonicatum, & Præbendarum olim Sancti Spiritus Ecclesiæ hujusmodi veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem, & divisionem, aliasque præmissa quoad Ecclesiam, Civitatem & Diocesim Ruremundensem, sicut præmittitur, gesta, rata, & grata habentes, ac eis Apostolica Confirmationis robur adjicientes, omnesque juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem suppletentes, ac illis in hac parte inhaerentes, litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, cæteraque infra scripta ab eisdem litteris discrepantia duntaxat immutantes, & nihilominus laudabile ejusdem Prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum tam Episcopali Mensæ, quam etiam infra scriptis novem affectis Præbendis Ecclesiæ Ruremundensis prædictæ de congrua dote providere volentes.

Motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, Monasterium Sancti Hieronymi Ruremundensis, Ordinis Sancti Augustini, nuper combustum, & nondum plenè reparatum, & dictæ Ecclesiæ Sancti Spiritus in Cathedrali Ruremundensem erectæ dignitatem inibi principalem, ac etiam forsan Conventualem Sancti Remigii Remensis in Merlsen, Ordinis Sancti Benedicti, antea Leodiensis, nec non Sanctæ Ursulæ, & undecim millium Virginum in Kessel, antea Colonienfis, & Sancti Nicolai in Alevois,

antea Trajectensis, nunc verò Ruremundensis Diocesis, Præmonstratenfis Ordinis, Conventu carentes Præposituras, ac qui Conventualis non est, cuique, ut asseritur, aliud onus, quam unius Missæ in anno non incumbit, Prioratum Sancti Walrici Cisterciensis Ordinis ejusdem Diocesis.

Quorum insimul, & in illis forsan respectivè annexorum fructus, redditus & proventus trium millium Ducatorum Auri de Camera secundum communem æstimationem valorem annuum, uti etiam accepimus, non excedunt, cum primum illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem dilectorum Filiorum moderni Abbatibus Monasterii, ac Præposituras, & Prioratum hujusmodi quovis modo obtinentium, aut alias quomodolibet, & apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præfertur, vel alias vacent, & tanto tempore vacaverint, quod Monasterii provisio, ac Prioratus, & Præpositurarum hujusmodi collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem præfatam legitime devoluta, ac Prioratus, & Præposituræ præfati dispositioni Apostolicæ specialiter, vel quavis causa, etiam dispositione, exprimentia, generaliter reservati existant, & ad illos consueverint aliqui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, & de dicto Monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat.

Nec non in eisdem Monasterio, Præposituris, Regularibus, & Prioratu Dignitatem Abbatialem ac Ordines, omnemque Statum, & Dependencias Regulares, ex nunc prout ex tunc, & è contra, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus.

Et quoniam in Civitate Ruremunda prope dictam ejus Ecclesiam Cathedrali nullus est locus Episcopali Habitationi commodior, quam fundus Monasterii præfati, fundum ipsum cum ædificiis in eo instauratis Episcopo Ruremundensi pro Domino Episcopali, & habitatione sua assignamus, ac Sancti Remigii, & Ecclesiæ Sancti Spiritus Præpositurarum, & Prioratus Mensæ Episcopali, Monasterii verò, ac in Kessel, ac Sancti Nicolai Præpositurarum prædictorum, illisque annexorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac alia Bona quæcumque quovis nomine nuncupata, quadraginta quatuor Decanatus, ac tantundem, vel 100. Ducatorum Auri similibus, quot ad constituendam infra scriptarum affectarum Præbendarum æquivalentiam necesse erit, portiones annuas exinde primitus assumendas Scholasteriæ dictæ Ecclesiæ Ruremundensis:

Reliqua verò novem Canonicatibus, & totidem Præbendis ejusdem Ecclesiæ, qui Canonicis Graduatis affecti erunt, ita quod ad Missarum, & Memoriarum Defunctorum Celebrationem, & maintenancem, ac elemosynarum in Monasterio, ac in Kessel, & Sancti Nicolai Præposituris prædictis fundatarum, & institutarum præstationem teneantur, illorumque & annexorum eorumdem fructus, redditus, & proventus, ac jura, obventiones, & emolumenta, & bona quæcumque quovis nomine nuncupata, una cum eorum præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, & administrationibus universis.

Ita quod hujusmodi vacatione occurrente liceat Episcopo Ruremundensi, ac Decano Scholastico, & novem Graduatis Canonicis supradictis, pro tempore existentibus, per se vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, jurium, & pertinentiarum, ac fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, & aliorum Bonorum Monasterii, Præpositurarum, & Prioratus prædictorum propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque percipere, exigere, &

levare, ac in suos, & Episcopalis Mensæ, nec non Decanatus, Scholasticæ, & novem Canonicatum, & Præbendarum usus, & utilitates convertere, nec non omnia & singula Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, Secularia, etiam quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium Præpositurarum Præpositorum, & Prioratus Priorum Monasterii prædictorum, & Abbatis, communiter vel divisim, quomodolibet spectantia, personis idoneis respectivè conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, vel eligere, ac præsentatas & electas instituere, ac confirmare, & alias de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorundem Monasterii Abbates, Præpositurarumque, & Prioratus Præpositi, & Prior hætenus exercuere, facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisita, dicta auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Statuentes, quod dilecti Filii Canonici Regulares, & alii Religiosi Monasterii, & qui sint Præposituræ S. Remigii prædictorum, cum honesta, & sufficienti recompensa vitalis & annuæ pensionis ad alia sui Ordinis partium illarum Monasteria, quarum plurima Religiosis indigere noscuntur, aut Virginum Conventus, ut inibi Missas, & alia Divina Officia celebrent, vel etiam, si ad id sufficientes reperti fuerint, ad Curas Pastorales exercendas, juxta providam ipsius Episcopi Ordinationem transferantur, ac illac transferri debere, præsentemque litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similibus, vel dissimilibus suppressionum, applicationum, & appropriationum per Nos, & Sedem præfatam, aut quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis, minime comprehendat.

Sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas, & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minime comprehendantur, & nunc verè, & non fectè suum plenarium, & integrum effectum fortitas, applicationesque, & appropriationes de non vacaturorum, sed de vacantium Monasterii, Præpositurarum, & Prioratus fructibus, redditibus & proventibus hujusmodi factas, & per illas ex nunc Mensæ Episcopali, & Episcopo Ruremundensi, nec non Decano, Scholastico, & novem Graduatis Canonicis prædictis pro tempore existentibus jus in re quasi-tum existere, ac eorundem litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones, pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & censeri decernimus.

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ, olim Sancti Spiritus, & Monasterii, & Præposituræ Sancti Remigii prædictorum Conventibus, aliisque quibusvis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub Excommunicationis majoris lætæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda penis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem, seu postulationem in Monasterii Abbatem, aut Præpositos Ecclesiæ Ruremundensis, & Sancti Remigii Præpositurarum hujusmodi, dum illa vacabunt, etiam si nunc vacant, ut præferatur, procedere, vel aliud in præmissis, seu eorum aliquo quoquomodo attentare, aut illis refragare præsumant, districtius inhibentes, ac decernentes quascumque electiones, seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non provisiones, prælationes, commendas, aliasque dispositiones, quas de cætero

etiam per Sedem prædictam de dictis Monasterio, Præposituris, & Prioratu, quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque fore valoris, vel momenti.

Ut autem idem Episcopus Ruremundensis suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedrali, circumspicit, & eruditus, ac ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam habeat, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis ipsius Ecclesiæ, olim Sancti Spiritus, quorum numerum, ac singulorum illorum fructuum, reddituum, & proventuum, veros annuos valores haberi volumus pro expressis, decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quorum primo loco postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo canonicè provisum fuerit, per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quorumlibet decem Canonicatum ejusdem Ecclesiæ, aut alias vacare contigerit, unus, & una Episcopo præfato, qui illorum ratione sit Capitularis, ac locum, & vocem super Decanum, ac reliquos Canonicos ejusdem Ecclesiæ, etiam in Capitulo, habeat, ac alii, & alia tres tribus in Theologia, nec non alii, & alia aliis tribus in Decretorum Doctoribus, seu in eis Licentiatibus, & reliqui, & reliquæ tres Canonicatus, & totidem Præbendæ reliquis tribus Nobilibus, etiam in Theologia, vel Decretis, vel saltem ad Gradum Licentiaturæ hujusmodi in famosa quapiam Universitate Studii generalis, cum rigore examinis promotis, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex, post Episcopi, priores tam Nobiles, quam ignobiles, ut præfertur, tamen qualificati: ad reliquos verò tres Canonicatus & Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobilibus, & Graduatis, ut præfertur, assumi possint.

Præterea quod in eadem Ecclesia sit unus Archidiaconus ex Graduatis ipsis juxta Episcopi designationem, post tamen dilecti, seu dilectorum Filiorum moderni, seu modernorum Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconorum cessum, vel decessum, qui eam plenariam Jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diocesi Ruremundensi habeat, quam Metropolitanæ prædictæ, cæterique Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi, de jure, vel consuetudine habent, & habere debent.

Alius verò sit Archipresbyter Civitatis nuncupandus, qui specialem Curam Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & Concionatorum in eadem Civitate habeat.

Alius autem ex tribus prioribus Canonicis Doctoribus, Penitentiaris Diocesanis exiit, qui conscientiarum Populi per universam Diocesim Ruremundensem Curam specialiter habeat.

In ipsa Ecclesia Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Scholasticam, & Penitentiarum in Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, quatenus hætenus erecti non sint, eisdem auctoritate & tenore erigentes, instituentes, & insuper quod apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum verò Theologiæ Professore, alterum verò Jurisperitum potestas totam Diocesim Ruremundensem ipsius Episcopi loco, & quoties ipse id eis mandaverit, visitandi, quibus etiam reliqui Graduati, quotiescumque simul requiriti fuerint, assistere debeant.

Apud tres verò ex præfatis Graduatis Viris duos Theologos, & unum Jurisperitum cum Archidiacono potestas Clericos ad Ordines Sacros promovendos, & Rectores Parochianos, quacumque etiam auctoritate provisos, ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi sit, & permaneat.

Ita quod ipsi nullos prorsus, nisi idoneos, & quantum ad animarum Curam pertinet, quod personalem facient residentiam expresse juratos admittere valeant, ac tam Archidiaconus, quam Achipresbyter,

& Poenitentiarius, quàm Scholasticus, & Canonici ratione Præbendarum suarum hujusmodi consilium, & operam in negociis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, eidem Episcopo, quando, & quoties ad id ab eo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, fideliter præstare teneantur.

Et ut de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem ejusdem Ecclesiæ accuratius prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & Præbendæ Graduatæ affecti pro prima vice per ipsum Episcopum Viris Nobilibus, & Graduatæ, alternatis vicibus, pleno Jure, etiam deinceps, quoties illos futuris temporibus vacare contigerit, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum superstitum, per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus ponderis, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac decem Canonicatus, & decem Præbendæ Episcopo, & Graduatæ affecti hujusmodi sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliis disponendo, primariis precibus, aut aliis gratis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, ad dictam Sedem, vel ejus Legatos, etiam consideratione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque Causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione etiam per resignationem etiam ex Causa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam de illis provideri, aut alias quoquomodo disponi possit.

Et quoniam impia hæreticorum Studia, ac hujusce temporis malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patitur, quòd si Canonici Graduatæ prædicti ab eadem Ecclesia, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, illosque Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis Causâ permanerint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico, quacumque Causâ impetrato, vel concessio, sese à residentia hujusmodi eximere possit, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas affectos præfatos conferendi, & de illis disponendi, vel ad illos eligendi, seu nominandi à Præposito, & Capitulo Ecclesiæ Ruremundensis hujusmodi, nec non Civitatem, & Diocesim Ruremundensem prædictas, omniaque, & singula, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, & alia pia loca in illis consistentia, visitandi, & Jus illa conferendi, & de illis providendi, ac aliis quomodolibet disponendi, nec non personas corrigendi, aliaque Jura, fructus, redditus, proventus, res, & Bona quacumque per quosvis Archiepiscopos, & Episcopos in eisdem Civitate, & Diocesi Ruremundensi ordinario Jure haberi, & percipi solita, ab illis eorumque Diocesis, & Mensis Archiepiscopalibus, & Episcopali-

bus, & quibuscumque aliis, ita quod ipsi se deinceps in illis aliquatenus intromittere, ullamque actionem prætereundam nequeant, post promotionem primi Episcopi Ruremundensis hujusmodi perpetuò abdicantes, & amovescentes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, & ad Episcopum, & ejus Mensam, & novem Canonicos præfatos respectivè transferentes, & abdicata, amota, immutata, & translata esse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis Causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac quidquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, ac Atribatensi, & Antverpiensi Episcopis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præfates Litteras, & in eis contenta quacumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi, ac Capituli Ruremundensis, nec non Archidiaconi, Archipresbyteri, Poenitentiarii, Scholastici, singulorumque Canonicorum prædictorum, & aliorum quorum interest, & intererit quomodolibet in futurum, requisiti solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos omnes, & singulos confirmatione, approbatione, supplementatione, suppressione, extinctione, applicatione, appropriatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, separatione, aliisque omnibus, & singulis præmissis pacificè frui, & gaudere, ac hujusmodi Litteras, & in eis contenta firmiter observari.

Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præsentibus non parentes, etiam per excommunicationes latae sententiæ, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum quorumcumque Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, & inhabilitatis ad illa, aliaque in posterum obtinenda, ita quòd Beneficia, & Officia per contradictores obtenta tanquam per privationem legitime, & canonicè factam vacant, ac ab aliis impetrari, & per Ordinarios Collatores liberè conferri possint, nec non pecuniarias penas arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postpositâ, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, sententiis, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando.

Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, non obstantibus voluntate nostra priori, & aliis præmissis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Pape Octavi, etiam Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodò non ultra tres dietas aliquis tenore præsentium ad Judicium trahatur, & nostra de non tollendo Jus quæsitum, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, ac Ecclesiæ, Monasterii, Præposituræ, Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac fundationibus, si quæ sint, nec non Concordatis dudum inter Sedem præfatam & Nationem Germanicam desuper initis, privilegiis quoque, Indultis,

& Litteris Apostolicis Ecclesiae, Monasterio, Praeposituris, & Ordinibus praedictis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac in solitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam super electionibus faciendis, ac aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, unionibus & annexionibus, & incorporationibus, etiam similibus suppressionibus, & extinctionibus, facultatibus, mandatis, indultis, & aliis gratis quibusvis personis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam de latere Legatis, etiam motu simili, seu Consistorialiter, ac aliis quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, quae, & quas illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad praemissa omnino suspendimus, & in praemissis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse decernimus, ac tam eis, quam statutis, consuetudinibus, concordatis, fundationibus, privilegiis, Indultis, & litteris praedictis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inferri forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & sufficienter suspensa, illisque derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Praeposituris, & Prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generalis dictae Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetravit, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliis quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, & inde sequuta quaecumque, ad Praeposituras, & Prioratum suppressos praefatos volumus non extendi, sed nullum per haec eis quoad asequutionem Praepositarum, aut Prioratum, vel Beneficiorum aliorum praedictorum generari.

Aut si dilectis Filiis, Conventui, & Vassallis dicti Monasterii, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, assignationis, statuti, decreti, inhibitionis, erectionis, institutionis, ordinationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo

sexagesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri, anno secundo.

Erat signatum Fed. Cardinalis Cestus Glorierius. Adhuc inferius erat signatum A. M. de Alexiis.

Prioratum Bierbacensem juxta Lovanium, olim Ordinis Sancti Benedicti, sub Jurisdictione Abbatiae S. Nicasi Remis, supprimit anno 1561. ejusque Bona annectit Sacrae Facultati Theologicae in Academia Lovanienfi.

### PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X injuncto nobis desuper Apostolicae servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quae Litterarum Studia, ex quibus militantis Ecclesiae Republica gubernatur, divini nominis cultus protenditur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, ubique floreat, & augeatur, & personarum huiusmodi studiis insistentium commoditatibus consulatur; & ut personae ipsae aliquod subventionis auxilium suscipiant, & studia ipsa decentius manentur valeant, de congrua provisionis subsidio solerter providemus, ac desuper disponimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Decani, & Magistrorum Collegii Facultatis Theologicae Famosae Universitatis Lovanienfis, Mechliniensis Diocesis, petitio continebat, quod cum in amplissima, & populosissima inferioris Germaniae Provincia nulla alia insignis Universitas Studii Generalis fundata sit, & illa vetus stipendiorum, sive portionum mediocritas, quae Professoribus, & Studentibus in Theologia in dicta Universitate assignatur, ad fovendum, & alendum tot Scholares Theologicae disciplinae, quot praesentis saeculi deplorata calamitas exposcularet, nequaquam sufficiat, quin & pleraque ex ipsis portionibus plusquam expediret tenues sint.

Praesertim cum Theologiae Studium diuturno, ac arduo labore transigatur, ut exinde solidus fructus reportetur, innumeri pauperes clarae indolis, & Magisterii gradum in artibus istis affecturi, ad altiora studia huiusmodi non provehantur, qui alias modico subsidio sustentati in ipsa Theologia praestantissimi evaderent, ut inde laboriose hausta salubri doctrina, jam undique invalentibus Lutheri dogmatibus, ceterisque superstitionibus per universam Dei Ecclesiam conspersis sese fortiter opponere, pravasque Haereticorum opiniones reprimere, & confutare, ac denique auctoritatem, & obedientiam Romani Pontificis pro tempore existentis adversus impios defendere possint.

Et licet jam inde ab eo tempore, quo Monasterium Sancti Nicasi Remensis, Ordinis Sancti Benedicti, seu illius Abbas, & Conventus tunc Ecclesiam saecularem, & Collegiatam, nunc vero dicti Ordinis Regularem Prioratum Loci Bierbacensis Leodiensis Diocesis, à tunc Dominis temporalibus, seu Feudatariis dicti Loci, ad quos Juspatronatus dictae tunc Ecclesiae spectabat, de consensu etiam tunc Ducum Lotharingiae, & Brabantiae, sub quorum ditione temporali dictus Locus consistebat, nec non tunc Episcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Leodiensis, & Archidiaconi Brabantiae in Ecclesia Leodiensi, pietatis inritu donatum in elemosynam, cum ea conditione, quod cedentibus, vel decedentibus sex Canonici, qui tunc erant dictae Ecclesiae, Loco illorum totidem Monachi instituerentur, & de illorum Bonis sustentarentur, jure, & jurisdictione Episcopi, & dictae Ecclesiae Leodiensis, quam ipse Episcopus in Monachos ipsius Ordinis dictae Leodiensis Diocesis habebat, ac etiam Parochiae Bier-

XV.  
Ex Oper.  
Diplom.  
Miraei  
Tom. II.  
p. 1093.